



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLVIII. Gregorii Papae I. Ad Adeodatvm Primate Nvmidiae. Vt nullus ad sacros ordines precio ascendat, sed eius vita moresque prius discutiantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

rari præsentia. Præterea tota te mente, toto corde, tota-
que anima apostolicæ sedi inhærere, ac esse deuotum, &
nunc scio, & priusquam epistola tua hoc testimonium per-
hiberet, manifeste cognoui. Præmisso ergo debito ex cari-
tate salutationis alloquio adhortor, vt eorum quæ beato
Petro apostolorum principi promisisti, memor esse non
desinas. Itaque erga primatem Synodi tuæ esto solicitus,
vt pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tan-
to periculosius cadant, quanto citius descendere ad al-
tiora festinant. Nulla sit in ordinatione venalitas: potentia
vel supplicatio personarum nihil aduersus hæc quæ pro-
hibemus obtineat. Nam procul dubio Deus offenditur, si
ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex fauore,
quod absit, aut ex venalitate prouehitur. Hæc autem si
fieri cognoscis, non taceas, sed instanter obsiste: quoniam
si hæc aut inuestigare fortasse neglexeris, aut intellecta ce-
laueris, non solum illos qui hæc agunt peccati vinculum
illigabit, sed & te huius rei non leuis ante Deum culpa re-
spiciet. Oportet ergo canonica vltione, si quid tale com-
mittitur, coerceri; ne tantum facinus, cum aliorum pec-
cato parcitur, vires ex dissimulatione percipiat. Præsen-
tium igitur portitorem Victorinum fraternitatis tuæ dia-
conum, quem tuum reor imitatorem existere, & cum ca-
ritate suscepi, & ad remeandum citius relaxavi: per quem
etiam claves beati Petri, in quibus de catenis ipsius inclu-
sum est, tibimet pro benedictione transmisi. Propterea de
vnitate ac pace Concilii, quod Deo auctore congregare
disponitis, caritas tua animos nostros subtiliter omnia in-
dicando latificeret.

EPISTOLA XLVIII. GREGORII PAPÆ I.

AD ADEODATVM PRIMATEM NVMIDIÆ.

Vtnullus ad sacros ordines precio ascendat, sed eius vita
moresque prius discutiantur.

Gregorius Adeodato episcopo primati prouinciae Numidiæ.

QVALITER erga nos fraternitatem vestram caritas di-
lectionis adstrinxerit, scriptorum vestrorum series
evidenter innotuit: magnumque fomitem nobis contu-

Concil. Tom. 13.

Sf

Grat. 1. q.
1. cap. 110.
Anf. lib. 7.
cap. 46.

S. Bon. phar.
libro 1. cap.
10.

lere lætitia, quod ea & benigna pietate composita, & Deo placita dilectione fervere cognouimus. Ut igitur breuiter diximus, ita mentem vestram epistola, quam direxisti, exposuit, ut auctor eius abesse minime crederetur. Nec enim absentes iudicandi sunt, quorum animus ab alterutra caritate non discrepat. Quamuis autem nec virtus, nec ætas vos, sicut scribitis, ad nos venire permittat, ut de fraternitatis vestrae corporali possimus gratulari præsentia; tamen, quia animus noster vobis vesterque nobis unitus est, vicissim nobis per omnia præsentes sumus, dum nos unita per amorem mente conspicimus. Salutantes præterea fraternitatem vestram, congruo caritatis affectu hortamur, ut officium primatus, quod Deo habetis auctore, tota intentione sic studieatis sagaciter exhibere, quatenus ad hunc vos ordinem peruenisse, & animæ vestrae proficiat, & aliis in futuro exemplum bona imitationis existat. Estote ergo præcipue in ordinatione solliciti: & ad sacros ordines aspirare, nisi proiectiores ætate, & mundos opere, nullatenus permittatis, ne forte semper esse desinant, quod immature esse festinant. Eorum enim qui in sacro sunt ordine collaudi, prius vitam moresque discutite: & ut dignos huic officio adhibere possitis, non vobis potentia aut supplicatio quarumlibet surrepat personarum. Ante omnia autem cautos vos esse oportet, ut nulla proueniat in ordinatione venalitas: ne, quod absit, & ordinatis & ordinantibus periculum maius immineat. Siquando igitur de his tractari necesse est, graues expertosque viros consiliis vestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione pensate. Præ omnibus autem Columbum fratrem & coepiscopum nostrum in cunctis adhibere vos conuenit. Credimus enim quia si illa quæ agenda sunt cum eius consilio feceritis, nullus in vobis quod quibusque modis redarguere possit inueniet, nobisque ita gratum esse tamquam si cum nostro consilio agantur cognoscite: quoniam vita moresque illius ita in omnibus sunt nobis approbati, ut cunctis liquido constet, quia quod cum eius consensu agitur, nullius culpæ macula fuscatur. Præsentium vero lator Victorinus supra scripti coepiscopi nostri diaconus, vestrum præco ita exitit meritorū, ut animos nostros de vestra vehementer actione reficeret. Et oramus omnipotentem

Grat. 1. qu.
1. cap. 119.

Dominum, vt bona quæ de vobis ore tenus retulit, placi-
ta sibi plenius faciat operatione clarescere. Concilium
itaque quod congregare disponitis, dum Deo fuerit so-
latiante per actum, de eius nos vnitate atque concordia
laetificate, ac reddite per omnia certiores.

EPISTOLA XLIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD THEODORVM EPISCOPVM LILYBÆTANVM.

De Paulo in poenitentiam dato.

*Gregorius Theodoro episcopo * Lilybætano.** ad. Lily-
bætanum.

F RATERNITATIS tuæ grata nobis omnino solicitudo est,
quia ea quæ de sacerdotum vita cognoscit, & perscrutari curat, & inuestigata renuntiat. Ut ergo in hac sollicitudine quam in te laudamus possis sine diminutione persistere, studiosus esto ac vigilans: & si quos illic a quibuslibet, quod absit, excessus perpetrari cognoueris, si quidem tales sunt qui emendari ibidem possint, rationabiliter emendentur: alioquin fratri nostro Maximiano episcopo scriptis renuntiare festina, vt quid fiendum sit a vobis informatus agnoscat. Nulla igitur res ab inuestigatione prauorum actuum, vel insinuatione te reuocet. Nam quanto vigilantiam tuam modo laudamus, tanto culpabilior inuenieris, si huiusmodi actus qualibet dissimulatione celaue-
ris. Paulum præterea quondam episcopum in monasterio in quo est, in poenitentia volumus permanere. Res autem quæ apud eum inuentæ sunt, in cimeliarchio ecclesiæ tuæ seruare modis omnibus studebis. De quibus etiam secundum rerum inuentarū paginam desusceptum te facere volimus, & in scrinium ecclesiæ tuæ transmittere. Sed & clericis eius, si tamen illic aliqui præsentes sint, a pari aliud facere desusceptum te conuenit, in quo tua fraternitas fateatur, quia desusceptum de eisdem rebus in scrinio nostro emiserat; quatenus dum necesse fuerit, competenti personæ res omnes possint sine detimento restitui. De Bonifacio vero quædam grauis ad nos accusatio peruenit, cuius scelera volumus, utrum vera sint, fraternitas tua cum loci seruatore prætore examinet.